



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

Circumcisio Domini. 1. Ianuarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

JANVARIVS,

CIRCUMCISIO DOMINI.

I. Januarii.

O Ut ego te exosculor diem candidissimum ! ô
 fidus ! ô JESV Nomen ! Ite jam astrorum ar-
 bitri, dicite sanè fatalem hanc mihi stellam esse,
 horoscopum meum esse, ab hâc vitâ meam, vitæ
 studia, mortem, omnia dependere. Rectè. Quid-
 quid igitur agam, JESV auspice agam. Vigilabo ?
 in oculis JESVS erit. Dormiam ? JESVM somniabo.
 Ambulabo ? comes JESVS ibit. Sedebo ? latus clau-
 det JESVS. Studebo ? JESVS erudiet. Scribam ? cala-
 mum cum manu JESVS ducet, & JESVS JESVM
 scribet. Orabo ? verba JESVS formabit, animabit
 JESVS. Fessus ero ? recreabit JESVS. Esuriam ? sitiam ?
 JESVS pascet, ille potabit. Ægrotabo ? Amor aderit
 medicus, JESVS. Moriar ? JESV immoriar meo. JE-
 SVS supremis labris natabit. JESVS oculos claudet,
 JESV sinus mihi tumulus, tumuli inscriptio JESV
 nomen erit. Sed, heu mihi ! mi JESV ! Amor meus !
 quid video ? quod si vitæ tuæ aurora tam multo
 cruore jam rubet ; quàm largos imbres sanguinis
 in sero vitæ vespere dabis, ô Sol meus ! Heu ite-
 rum mihi ! ô MARIA ! ô Cynthia mea ! an palles ?
 dabis eheu ! etiam tu hodie pluvias. Et ecce im-
 bres lacrimarum ex utroque oculorum cælo ruen-
 tes. Time peccans adolescentia, tute hanc tem-
 pestatem dedisti. Cur enim hodie jam ad sangui-
 nem iretur, nisi sceleribus tu quoque foxes ob-
 noxia. Ecce die octavo jam sævit culter tuus verè
 saxeus ! Sed disce ad infanda scelera, disce à cultro
 tuo erubescere. Disce vulnera agnoscere tua. Si
 nescis,

nescis, ibi vulnus est, ubi emplastrum est.

*Si tentaris à Diabolo, si ab omnibus hominibus oppri-
meris, si conficeris aegritudine, si doloribus fatigaris, si
desperationis agitaris spiritu, nomen IESV edicito.* Ju-
stinian. serm. de Circumcis.

S. BASILIUS MAGNUS. 1. Ianuarii.

MAGNUM esse BASILIVM ad ardentis columnæ
facem D. Ephrem vidit. Magnum deinde
ostendit *Christus* ipse, dum sacris operanti adesse
spectabilis, cum sancto Duodecimvirorum cæle-
stium senatu voluit. Sed & talem Hebræus non-
nemo credidit, cui profano adhuc, sacrae tamen
mensæ accumbenti, cum minimo in orbe magnum
Virginis Filium è manu suâ propinasset, manus &
ipse dedit. Magnum demum senserunt è maximis
tyrannis duo. Horum alter Julianus (is qui turpe
sibi apostatae nomen peperit) orante contra se BA-
SILIO, sententiam ferente Deiparâ *Virgine*, exe-
quente D. Mercurio, orbi pœnas perfidiæ, quas
meruit, dedit. Non felicior alter Valens, exilium
Divo nostro nequicquam semel iterumque inten-
tavit. Nam sententiam impiam ferre jam cogitan-
ti, ipsum justius iudice suo tribunal reclamavit,
sellâ diffractâ; & subscribere laboranti, penna atra-
mentum, quod habuit, tertium negavit: ipsa ma-
nus facere officium noluit; certè ut non posset,
exaruit; conjunx filiusque ægri ad cogitatum sce-
lus nolentes etiam ingemuerunt. Et filius quidem
à magnâ BASILII manu convaluit. Cui cum Va-
lens pessimos superinduxisset medicos Arianos,
filius continuò malè mortuus est. At bene noster,
sub annum Christi CCC. LXXVIII. vixit BASILIVS;
vel hoc uno magnus magnique faciendus Parthe-
niis